

Quia vero Franciscani in praedictis regionibus decursu saeculorum inveniuntur organisati in provinciis religiosis diversi nominis, quarum una alterius ortum praeparabat, et quia activitas eorum longe lateque ultra confinia Croatiae in regionibus Rasciae (Serbiae), Hungariae inferioris, Moldaviae, Vallachiae, Bulgariae, Albaniae... diffundebatur, ideo, ne postea in ipsa tractatione confusio oriretur occasione usus terminorum et regionum determinatione, statim hic opus est breviter ortum et multiplicationem provinciarum franciscalium in Croatia praemittere.

Jam ante a. 1235 in maritimis regionibus et insulis Adriatici maris existit *Provincia Sclavoniae*,⁴ quae a. 1298 nomen in provinciam Dalmatiae s. Hieronymi commutaverat.⁵ Haec fuit prima provincia in croaticis regionibus. Ipsa actione sua missionaria et inquisitoria a Romanis Pontificibus sibi commissa ortum et erectionem Vicariae Bosnae praeparavit, ex cujus divisione postea aliae provinciae franciscanae originem ducunt. — Anno deinde 1339/40 erecta fuit *Vicaria Bosnae*,⁶ cujus officium principale erat incumbere conversioni haereticorum et schismaticorum inibi serpentium. Cum vero tales in tota Bosna ejusque confiniis invenirentur, celeriter haec Vicaria ita excrevit, ut medio saeculo XV a Mari Adriatico usque ad montes Carpaticos et Pontum Euximum extenderetur.⁷ — Anno 1448 separantur a Vicaria Bosnae conventus Hungariae et in specialem *Vicariam* (postea *provinciam SS. Salvatoris*) constituuntur.⁸ — Anno 1464 jussu Pii Papae II uniendae erant Vicaria Bosnae et provincia Dalmatiae, quae brevi postea iterum dividuntur. Anno enim 1468 de facto separationem impetrarunt et in sequenti capitulo generali in Bolsena *conventus dalmatini simul cum ragusinis in Vicariam specialem* constituti sunt;⁹ deinde a Dalmatinis separati Ragusini conventus a. 1484 in *specialem Vicariam ragusinam* erecti fuerunt.¹⁰ — Sic Vicariae Bosnae remanserunt conventus sub turcico dominio cum illis adhuc existentibus in croaticis regionibus sub corona s. Stephani in regno Hungarico-croatico. Sed et hi a. 1514 separantur et in duplicem *Vicariam* constituuntur, videlicet *Vicariam Bosnae Argentinae* cum conventibus sub Turcarum dominio et *Vicariam Bosnae Croatiae* cum remanentibus conventibus sub christiano

⁴ Rode B., De antiquitate Provinciae Sclavoniae O. F. M. nunc Dalmatiae, in Archivum Franciscanum Historicum, I (1908), 508ss; Milošević J., De Provincia Sclavoniae, AFH, I (1908), 235ss.

⁵ Rode, o. c. 506.

⁶ Vide infra p. 24 ss.

⁷ Holzapfel-Haselbeck, Manuale historiae Ordinis Fratrum Minorum, Friburgi i. B. 1909, 146; Rupčić B., Entstehung der Franziskanerpfarren in Bosnien und der Herzegowina und ihre Entwicklung bis zum Jahre 1878, Breslau 1937, 35.

⁸ BF, VIII, 592 n. 1165.

⁹ AM, ad an. 1469 n. 8 (XIII, 505).

¹⁰ AM, ad an. 1484 n. 47 (XIV, 440).